

ALLOCVTIO AD FILIVM.

Vt autem formam quandam habeas, quam, instituendo, magno cum fructu, literis & moribus iuventutem, respicias, venit mihi in mentem, vitam beati mei praeceptoris, *Philippi Theodori Verpoortennii*, a me delineatam, ad te mittere, tibi que quasi despondere. Fuit ille magnus literator, quem *Conradus Samuel Schurzfleischius* & *Jacobus Perizonius* magni fecerunt, & vir sine controuersia doctissimus, ac in obeundo munere suo fidelissimus, quamuis in plerorumque ignoratione versetur; cuius indefessae industriae ego debeo, quidquid in literis humanioribus percepi. Vt igitur laudem ejus atque merita ab obliuione ciuium praesertim nostrorum vindicem, teque atque alios, qui scholae se manciparunt, ad imitandum eum excitem, vitae beati

viri